



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Ubalduſ Ep. 16. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S. UBALDUS EP. 16. Maii.

UBALDUS infulam unam alteramve fugâ declinavit, tertiam eamque Eugubii in patriâ non potuit effugere, Summi Pont. auctoritate captus. Geminis cæcis cum oculos restituisset, tertium idem roganti, docuit libenter oculis carere, qui animum excæcaturi essent. Hostes innumeros patriam obsidentes omnes egit in fugam, cum unicum ipse signum crucis explicasset. Pacis ingeniosissimus artifex, contra injurias cautes inexpugnabilis fuit. Sed utriusque documentum cape. Scissa in factiones geminas urbs, pugnabat in viscera sua. Adest UBALDUS medius inter saxorum & telorum ictus, cadit deinde. Hic verò omnes arma abjicere, damnare discordiam, quæ parricidas cives fecisset. Tum denique à piè simulatâ morte surgere UBALDUS, & partam unius eaque ludicrâ morte pacem civibus gratulari. Ultima fortis homo, & unico suo cæmento memorandus, Pontificem in calcis scroberem dejecerat, non tam cœno quàm ignominia aspersum. Ilicet amini civesq; scelus urbe exigere, & ipsas improbi domini ædes velle demoliri. At ajebat *Ubaldu*s, graviori supplicio vindictæ litandū. Sese vindicem sui exemplum editurum, quod urbs, quod orbis miraretur. Interea
pro

318 VITÆ SANCTORUM. 17. Maii.
pro tribunali seder: adest reus, vel se ju-
dice nullâ non morte dignus. Ergo sen-
tentiam profert UBALDUS, & inaudito
supplicio reum damnat AD OSCULUM.
Non multo sanguine, ais, se vindicavit,
sed certè, ut non nemo inquit, rubore mul-
to. Ex Brev. Rom. Pet. de Nat. & Surio.

Obediamus Christo, & furentium fra-
trum morsus, verbera, onera, pietatis Vir-
tute portemus: ut & fratres nostros libere-
mur à pœna, & patientiæ præmium con-
sequamur: nec dedignetur servus hoc acci-
pere à conservis, quod Dominus à servis &
pro servis dignanter accepit. S. Pet. Chryl.
serm. 28.

S. TORPES MART. 17. Maii.

RAram avem vides, & albo similli-
mam corvo, aulicum, inquam, pium
ex aulâ Neronis impii. TORPES est D. Pau-
lo familiaris, & in fide, quemadmodum
fertur, Angeli discipulus. Hic tyrânni
æmulam cælo machinam, & quâ ille
mortalibus velut alter in terris Iupiter
illudebat, solis precibus destruxit, flu-
mineque cælos vanissimos & orco mer-
sit. Ilicet Nero Iupiter hoc damno mul-
tatus graviter detonuit, omnibusque pœ-
nis in TORPETEM fulminavit, sed ex pel-
vi. Nam alapam primò Sabellici judicis
generosè devoravit. Columnæ deinde
alligatus, tortusque crudeliter, Samson
ipsif-